

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XVIII. De exemplis sanctorum Patrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Non potest etiam diu stare pacificus, qui non nititur esse minimus, & omnibus subjectus.

3. Ad serviendum venisti, non ad regendum : ad patiendum & laborandum scias te vocatum, non ad otium vel fabulandum.

Hic ergo probantur homines, sicut aurum in fornace.

Hic nemo potest stare, nisi ex toto corde se voluerit propter Deum humiliare.

## C A P U T X V I I I .

### *De exemplis sanctorum Patrum.*

#### I. INTUERE sanctorum Patrum

**I**vvida exempla, in quibus vera perfectio resulsa & religio, & videtis quam modicum sit, & penè nihil, quod nos agimus.

Heu ! quid est vita nostra, si illis fuerit comparata ?

Sancti & amici Christi, Domino servierunt in fame & siti, in frigore & nuditate, in labore & fatigatione, in vigiliis & jejuniis, in orationibus

C

&

& sanctis meditationibus, in perse-  
cutionibus & opprobriis multis.

2. O quām multas & graves tri-  
bulationes passi sunt Apostoli, Mar-  
tyres, Confessores, Virgines, &  
reliqui omnes, qui Christi vestigia  
voluerunt sequi!

Nam animas suas in hoc mundo  
oderunt, ut in vitam æternam pos-  
siderent eas.

O quām strictam & abdicatam vi-  
tam sancti Patres in eremo duxe-  
runt! quām longas & graves tenta-  
tiones pertulerunt! quām fre-  
quenter ab inimico vexati sunt!  
quām crebras & fervidas orationes  
Deo obtulerunt! quām rigidas ab-  
stinentias peregerunt, quām ma-  
gnum zelum & fervorem ad spiri-  
tualem profectum habuerunt! quām  
forte bellum adversus edomatio-  
nem vitiorum gesserunt! quām pu-  
ram & rectam intentionem ad  
Deum tenuerunt!

Per diem laborabant, & noctibus  
orationi diutinæ vacabant: quan-  
quam laborando ab oratione men-  
sali minimè cessarent.

3. Om-

eo  
cap

3. Omne tempus utiliter expendeabant : omnis hora ad vacandum Deo brevis videbatur: & præ magna dulcedine contemplationis , etiam oblivioni tradebatur necessitas corporalis refectionis.

Omnibus divitiis , dignitatibus, honoribus , amicis & cognatis renuntiabant : nil de mundo habere cupiebant, vix necessaria vitæ sumebant: corpori servire , etiam in necessitate dolebant.

Pauperes igitur erant rebus terrenis , sed divites valde in gratia & virtutibus.

Foris egebant , sed intus gratiâ & consolatione divinâ reficiebantur.

4. Mundo erant alieni , sed Deo proximi ac familiares amici.

Sibi ipsis videbantur tanquam nihil , & huic mundo despici : sed erant in oculis Dei pretiosi & dilecti.

In verâ humilitate stabant , in simplici obedientia vivebant,in charitate & patientia ambulabant : & ideo quotidie in spiritu proficie-

C 2 bant,

Dati sunt in exempla omnibus Religiosis : & plus provocare nos debent ad benè proficiendum, quām tepidorum numerus ad relaxandum.

5. O quantus fervor omnium Religiosorum, in principio suæ san-ctæ institutionis fuit !

O quanta devotio orationis ! quanta æmulatio virtutis ! quām magna disciplina viguit ! quanta reverentia & obedientia , sub regula magistri, in omnibus efflорuit !

Testantur adhuc vestigia derelicta , quòd verè viri sancti & perfecti fuerunt : qui tam strenuè militantes, mundum suppeditaverunt.

Jam magnus putatur , si quis transgressor non fuerit : si quis, quod accepit , cum patientia tolerare potuerit.

6. Ah tepor & negligentia statūs nostri , quòd tam citò declinamus à pristino fervore : & jam tædet vive-re , præ lassitudine & tenore !

Uti-

Utinam in te peritus non dormiret profectus virtutum , qui multa sæpius exempla vidisti devotorum ?

## C A P U T X I X.

### *De exercitiis boni Religiosi.*

1. **V**ITA boni Religiosi omnibus virtutibus pollere debet : ut sit talis interiùs , qualis videtur hominibus exterius .

Et merito , multò plus debet esse intus , quàm quòd cernitur foris : quia inspector noster est Deus , quem summopere revereri debemus , ubi cumque fuerimus , & tanquam Angeli in conspectu ejus mundi incedere .

Omni die renovare debemus propositum nostrum , & ad fervorem nos excitare , quasi hodie primum ad conversionem venissimus , atque dicere :

Adjuva me Domine Deus in bono proposito , & sancto servitio tuo : & da mihi nunc hodie perfectè incipere ,